



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Davidis Regii Prophetae Psalterivm**

**Moritz <Hessen, Landgraf>**

**Smalcaldiae, 1593**

**VD16 B 3258**

Psalmvs Cl. Misericordiam & iudicium &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

*Ad suum pastor bene preparatum,  
Duxit ouile.  
Ergo templi limen adite lati,  
Conditoris laudibus euhentes  
Nomen, ut suaves resonent per ampla  
Atria cantus.*

PSALMVS CI.

Misericordiam & iudicium &c.

*Vsticiam Domini diuinaq; iura canemus:  
Laudibus extollam te, Deus alme, nouis.  
Qui mihi sunt fidi, quibus est in pectore candor,  
His ego, syncero pectore, fidus ero.  
Alma fides, & amor veri mea templa coronant:  
Non soleo causas arte fouere malas.  
Nil nisi prava ausos, odi cane peius & angue:  
Tales non patiar mecum habitare viros.  
Peruersi corde, ac reprobi mea limina vitent,  
Non fero: ne veniant sub mea tecta mali.  
Qui solet absentes mordaci rodere dente:  
Hunc fugio, ut pestis dira venena male.  
Odi ego, qui gestant fastidia corde superba,  
Iunonis, gressu, quiq; imitantur auem.*

Sunt

Sunt oculi intenti super hos, qui cor defidet  
Prospiciunt populis: hos mihi adesse volo.  
Pectore qui calant facinus, blanda ore loquentes,  
Mendacesq; homines sunt procul arce mea.  
Impia corda meis iubeo mox cedere regnis,  
Vt Domini reliquum non sit in urbe scelus.

P S A L M V S C I I .

Domine, exaudi orationem meam, &c.

M<sup>I</sup> Deus, exaudi gemitus, lacrymosaq; verba:  
Et querulae ascendant ad tua tēpla preces.  
Ne, rogo, ne abscondas placidi tua numina vultq;  
Sed pateant aures ad mea vota tua.  
Prateriere dies, ceu fumus in aëra, nostri,  
Vt focus, ossa mea, ut torris, adusta iacent.  
Languida corda arent, ceu gramina solis ab astu:  
Oblitusq; cibum sumere deficio.  
Ossibus attritis luctu, caro languida adharet,  
Dum fundo lacrymas cum querulo gemitu.  
Instar Onocrotali deserta per auiā clangens,  
Buboni similis per loca sola vagor.  
In me dira vomit conuitia perfidus hostis,  
Perq; caput iurat scpticaturba meum.

Dum